

PARS ALTERA

1. Altera Logicae pars, ut diximus ¹, versatur circa syllogismum, sive ratiocinationem in sui materia spectatam. Iam syllogismus, ex diversitate materiae, triplicis generis est, nempe *apodicticus*, *dialecticus* et *sophisticus*. Syllogismus apodicticus, sive *demonstrativus*, ille est, cuius praemissae sunt enunciationes necessariae, sive petitae ab ipsa natura rei. Syllogismus autem *dialecticus* est, cuius praemissae sunt enunciationes probabiles, sive sumtae extra naturam rei ². Denique syllogismus *sophisticus* ille est, cuius praemissae, etsi verisimiles videantur, tamen tales re ipsa non sunt. In syllogismo demonstrativo conclusio est enunciatio necessaria, quippe quae ex principiis necessariis elicitur; quapropter syllogismus demonstrativus illam certam cognitionem gignit, quae *scientia* dicitur. In syllogismo dialectico conclusio, cum sumatur ex principiis extra naturam rei positis, est enunciatio probabilis; hinc syllogismus dialecticus gignit cognitionem probabilem, nempe illam, ex qua *opinio*, non scientia existit ³. Denique syllogismi *sophistici* conclusio est enunciatio falsa, quae speciem veritatis habet; et ideo syllogismus *sophisticus* errorem parit.

2. Quae cum ita se habeant, haec altera pars Logicae in tres partes rursus dividitur, quarum prima *sophisticam*, secunda *dialecticam*, tertia *demonstrativam* complectitur. *Sophistica* rationem docet, qua captiosas cavillationes, quibus verum impugnari potest, detegere, et resolvere nobis licet. *Dialectica* modum ostendit, quo res, de qua quaestio occurrit, probabilibus argu-

¹ P. 7.

² Huiusmodi, e.g., sunt enunciationes, quae sapientum auctoritate fulciuntur.

³ Etsi interdum conclusio syllogismi dialectici in se spectata sit enunciatio necessaria, tamen *opinionem*, non scientiam gignit, quia non tamquam necessaria, sed tamenquam probabilis ab intellectu nostro apprehenditur. E.g., haec enunciatio, *anima humana est immortalis*, in se spectata est necessaria; sed tamen si ex principiis extra naturam rei positis colligatur, puta a consensu omnium gentium, aut ab auctoritate sapientum, aut ab aliis id genus momentis, opinionem dumtaxat gignit.

mentis inveniri potest. *Demonstrativa* denique de illa demonstratione agit, ex qua scientia gignitur.

CAPVI PRIMVM

De syllogismo sophistico

ART. I. Natura sophismatis explicatur

3. *Sophistae* ii dicebantur, qui non ut invenirent verum, sed, ut ait Tullius ¹, *ostentationis, aut quaestus causa* philosophabantur. Ipsi autem, ut hunc attingerent finem, argumentationes usurpabant occulte vitiosas, quae nempe sub specie veri falsum exhibebant ², atque ita redarguebant adversarium, cum quo disputabant, sive illum inducebant aut ad negandum id, quod ipse concesserat, aut ad concedendum id, quod negaverat ³. Itaque argumentatio *sophistica*, sive *sophisma*, definiri potest: *Syllogismus ita confictus, ut sub specie veri falsum exhibeat*.

4. Iam occultum vitium, quod in *sophismate* latet, aut in eo est, quod conficitur ex iis, quae verisimilia videntur, sed non sunt, aut in eo, quod ex verisimilibus componitur, sed contra leges syllogismi. Priori modo *sophisma* dicitur peccare *materia*, altero *forma*. At vero syllogismus, qui forma peccat, non est proprie syllogismus, sed *paralogismus*, seu *apparens* syllogismus, quia, ut alibi adnotavimus ⁴, forma essentiam ratiocinationis constituit, adeo ut, si ipsa desit, nulla existat ratiocinatio.

5. Possunt autem *sophismata* extrui vel a vocibus, quae in argumentatione adhibentur, vel a rebus significatis per voces; unde distinguuntur in *sophismata*, sive *fallacias in dictione*, et *extra dictionem*. Illa fundamentum habent in apparenti identitate vocis, aut orationis, nempe in eo, quod vox, aut plures voces, quae diversas res denotant, adhibentur, quasi unam rem significant; ista in apparenti identitate rerum, nempe in eo, quod res significata ab aliqua voce eadem ratione accipitur, dum diversa ratione accipienda est.

6. Cum *sophisma* spectet ad falsum sub specie veri insinuan-

¹ Acad., lib. II, c. 32.

² Quare *sophista* omne confert studium, *ad hoc quod videatur scire, quamvis nesciat*; S. Thom., In lib. IV Met., lect. IV.

³ Hanc ob rationem argumentatio *sophistica* dicitur *elenchus*, sive *redargutio*, quia thesim ab adversario defensam redarguit. — ⁴ Cf p. 37-38.

dum, duo ad eius effectiorem concurrant oportet, quae *causae sophismatum* dicuntur, nempe *causa apparentiae*, et *causa non existentiae*. *Causa apparentiae* est aliquid, ex quo id, quod falsum est, quamdam speciem veri mutuatur. *Causa autem non existentiae* est aliquid, quo id, quod speciem veri prae se fert, re ipsa falsum est. Patet autem diversas species sophismatum constitui ex diversitate *causarum apparentiae*, non vero ex diversitate *causarum non existentiae*, quia sophisma non eo spectat, ut ostendat falsum esse id, quod speciem veri habet, sed ut sub specie veri exhibeat id, quod est falsum.

ART. II. De *sophismatis in dictione*

7. Sophismata, quae in dictione versantur, haec sunt: *Figura dictionis*, *homonymia*, sive *aequivocatio*, *accentus*, *amphibolia*, *compositio*, et *divisio*.

8. Sophisma *figurae dictionis* existit, quoties duae dictiones, quae diversam significationem habent, propter similitudinem desinentiae sumuntur, quasi idem significant. E. g., ex eo, quod *operari*, et *amari* similiter desinunt, hoc sophisma constitui potest: *Amari est pati; ergo etiam operari est pati*; vel, *Vapulare est pati; ergo amare est pati*.

9. Sophisma *aequivocationis* committitur, cum una, eademque vox, quae sine ulla variatione plura significat, tamquam univoca in argumentatione adhibetur. E. g., sophista eum, qui nullum sidus latrare asserit, redarguere potest hac fallacia: *Quoddam sidus est canis; sed canis latrat; ergo quoddam sidus latrat*.

10. Fallacia *accentus* habetur, cum aliqua vox, quae ob variationem accentuum plura significat, tamquam unum significans in argumentatione accipitur. Hoc genus sophismatum praesertim apud Graecos obtinuit, usus enim accentuum in graeca lingua frequentissimus est. Huic generi sophismatum etiam accensentur, quae ab ambiguitate quantitatis sumi possunt. E. g., *Qui occidit, moritur; atqui gladius occidit; ergo gladius moritur*; quia *occidit*, si secunda syllaba corripiatur, idem valet, ac *moritur*; sin produceatur, idem valet, ac *interficil*.

11. Sophisma *amphiboliae* efficitur, quoties plures dictiones ita coniunguntur, ut multiplicem significationem pariant. E. g., haec verba, *Vellem me capere hostes*, multiplicem sensum habent, quia, cum accusativus *me* vel ante, vel post infinitum ca-

pere construi queat, ipsa alterutrum significare possunt, scilicet aut *velle me capi ab hostibus*, aut *velle hostes a me capi*. Quocirca ipsa, aiente Alberto M.¹ occasionem praebere possunt huic sophismati: *Vellem me accipere quoscumque vellem me accipere; atqui pugnantes vellem me accipere; ergo vellem pugnantes me accipere*².

12. Fallacia *compositionis* existit, quoties plures dictiones, quae in sensu diviso dumtaxat verae sunt, accipiuntur in sensu composito. E. g., illa verba I. C. apud Lucam, *Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*, intelligenda sunt in *sensu diviso*, ita nempe, ut qui ante caeci erant, viderent, et qui claudi, ambularent, et qui surdi, audirent. At increduli ea veluti coniuncta accipiunt, et ita sophisticè argumentantur: *Ea, quorum unum altero tollitur, simul stare repugnat. Atqui caecum esse, et videre; claudum esse, et ambulare; surdum esse, et audire eiusmodi sunt, ut unum altero tollatur. Ergo repugnat caecos videre, claudos ambulare, et surdos audire*.

13. Denique fallacia *divisionis* committitur, cum plures dictiones, quae in sensu composito dumtaxat verae sunt, sumuntur in sensu diviso. E. g., si duo et tria, quae coniuncta *quinque* efficiunt, seiuncta acceperis, inde poteris eruere hoc sophisma: *Duo, et tria sunt paria et imparia; atqui quinque sunt duo, et tria; ergo quinque sunt paria, et imparia*.

ART. III. De *sophismatis extra dictionem*

14. Sophismata *in re*, sive *extra dictionem*, sunt: *Fallacia accidentis*, *transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, *ignorationis elenchi*, *petitionis principii*, *consequentis*, *non causae pro causa*, *plurium interrogationum*.

15. Fallacia *accidentis* existit, quoties ex eo solum, quod individuum alicui speciei subiicitur, deducitur ipsum praeditum esse aliqua proprietate, quae ad speciem per accidens pertinet. E. g., *Homo currit; atqui Socrates est homo; ergo Socrates currit*.

16. Fallacia *transitus a dicto secundum quid ad dictum sim-*

¹ *Elenchorum libri duo*, lib. I, tract. I, c. 3.

² Hoc genere constructionis Apollo, ut fertur, Pyrrhum delusit sciscitantem, num bellum Romanis inferre deberet; sic enim ei respondit: *Aio te, Aecida, Romanos vincere posse*.

pliciter committitur, cum ex eo, quod aliquid convenit alicui secundum aliquam rationem, ipsum ei secundum omnem rationem convenire colligitur; e. g., *Caabaptistae* ex eo quod Paulus vetus Testamentum abrogatum fuisse scripsit, coniiiebant ipsum omnino non valere. Quo modo a dicto secundum aliquam rationem ad dictum simpliciter progrediebantur; Paulus enim non sibi voluit vetus Testamentum abrogatum fuisse omnino, sed aliqua ex parte, sive non in iis, quae ad substantiam, sed in iis, quae ad accidentia spectant.

17. Fallacia *ignorationis elenchi*, seu *redargutionis*, ex eo originem habet, quod sophista obiicit adversario aliquam contradictionem, quae reipsa non existit¹; unde sophista adversarium redarguere videtur, sed revera non redarguit. E. g., hoc sophisma committunt haeretici, cum ita argumentantur: *Christus est aeternus; atqui Christus natus est in tempore; ergo Christus est aeternus, et non aeternus*. Haec contradictio, quam ipsi obtrudunt, non existit, nam *esse aeternum*, et *esse natum in tempore* non pertinent ad Christum secundum eandem, sed secundum diversam naturam.

18. *Petitio principii* habetur, quoties « idem assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo² ». In hoc sophisma incurreret quisquis probaturus animam humanam esse immortalem argumentaretur hoc modo: *Anima humana est superstes corpori; ergo est immortalis*.

19. Fallacia *consequentis* duos modos habere potest. Primus est, cum, posito consequenti alicuius enunciationis connexae, ponitur et antecedens. E. g., *Si homo est, animal est; atqui est animal; ergo est homo*. Alter est, cum, sublato antecedenti enunciationis connexae, tollitur et consequens. E. g., *Si homo est, animal est; atqui homo non est; ergo non est animal*³.

20. Fallacia *non causae pro causa* existit, cum aliqua propositio sumitur veluti causa falsae conclusionis, cum illa huius causae ipsa non sit. E. g., si quis asserat animas humanas multipli-

¹ Inde intelligis hoc sophisma *ignorationem elenchi*, seu *redargutionis* vocari, quia sophista, qui illo utitur, patefacit se ignorare, quomodo adversarius redarguendus sit.

² S. Thom., *Opusc. XXXIX, De Fallaciis*, c. 12.

³ Cf quae diximus p. 42.

cari secundum multiplicationem corporum, sophista potest eum redarguere hac fallaci argumentatione: *Animae humane multiplicantur secundum multiplicationem corporum; ergo, destructis corporibus, non possunt in suo esse perdurare; atqui hoc est falsum; ergo falsum etiam est animas multiplicari secundum multiplicationem corporum*. In qua argumentatione sophista sumit illam enunciationem, *Animae humanae multiplicantur secundum multiplicationem corporum*, esse causam illius falsi consequentis, nempe, quod *ipsae, destructis corporibus, non possunt in suo esse perdurare*; at vero causa falsitatis huius consequentis non est illa enunciatio, sed alia, quam sophista supponit, nempe, *animas in suo esse a corporibus pendere*.

21. Fallacia *plurium interrogationum* existit, cum plures interrogationes ita componuntur, ut sive responsio sit aiens, sive negans, respondens semper falsitatis redarguatur. Ita, si quis sophista, ut apud Gellium est¹, te interroget, num, *Quidquid non perdidisti, habes*, sive negando, sive aiendo responderis, in captionem incidis. Nam si negaveris te habere quod non perdidisti, ipse te redarguet hoc modo: *Quidquid non perdidisti, non habes; atqui oculos non perdidisti; ergo oculos non habes*; sin dixeris te habere quod non perdidisti, te redarguet hoc alio modo: *Quidquid non perdidisti, habes; atqui cornua non perdidisti; ergo cornua habes*.

ART. IV. De sophismatum solutionibus

22. Modi, quibus sophismata vere solvuntur², sunt vel generales, vel speciales. Quod ad modos generales spectat, memoria revocandum nobis est syllogismus posse esse falsum vel quod in materiam, vel quod in formam peccat. Si peccat in materiam, utraque, vel alterutra praemissarum neganda est, siquidem syllogismus nequit falsus esse quoad materiam, nisi utraque, vel alterutra praemissarum sit falsa. Si peccat in formam, distinctione, aut divisione opus est. Etenim syllogismus in formam pec-

¹ *Noctes Atticae*, lib. VI, c. 2.

² Diximus vere solvuntur, quia dari possunt etiam *apparentes* solutiones sophismatum, in quibus nempe difficultatem directe non solvimus, sed potius eludimus, vel eam incidendo, vel opponendo aliam fortiolem objectionem, vel exhibendo absurda, quae inde sequerentur, vel revincendo sophistam imperitiae in arte sua.

cat, vel quia aliqua propositio aequivocam, ac proinde multiplicem significationem habet, vel quia praemissae debitum ordinem cum conclusione non habent. Iam, si primo vitio formae laborat, distinguenda est illa propositio aequivoca; sin altero, dividendae sunt praemissae a conclusione, sive ostendendum est conclusionem cum praemissis non connecti.

23. Quoad autem modos speciales, quibus sophismata vere solvi possunt, eos singulos exponere ratio huius operis haud sinit. Quare unum, aut alterum, exempli instar, dumtaxat innuemus. Fallacia *compositionis*, et *divisionis*, quae est in dictione, solvitur, si ea, quae sophista sensu composito accipit, a nobis sensu diviso, et quae ille sensu diviso, a nobis sensu composito explicentur. Ita si quis cavilletur hoc modo: *Apostoli sunt duodecim: atqui Petrus, et Ioannes sunt Apostoli; ergo Petrus, et Ioannes sunt duodecim*, neganda est conclusio, quia esse duodecim, quod de Apostolis simul coniunctis dumtaxat verum est, de iis etiam separatim praedicatur. Si sophista fallaciam ignorationis elenchi adhibens, ita arguit: *Duo sunt duplum unius; atqui non sunt duplum trium; ergo sunt duplum, et non duplum*; respondendum est conclusionem a praemissis haud fluere, quia in praemissis non dicitur idem esse duplum, et non duplum, prout ad idem, sed prout ad diversa, nempe ad *unum*, et ad *tria* refertur.

CAPVT II.

De syllogismo dialectico

24. *Dialectica* est ea pars Logicae, quae modum docet, quo aliqua quaestio per probabiles rationes in utramque partem exagitur. Ipsa *via ad scientiam* dicitur, quia mens humana ad perfectam cognitionem, sive scientiam rei assequendam veluti per quosdam gradus pervenit; nimirum primum inquirat, quid probabile, aut verisimile in re quaesita sibi occurrat, et deinde per has probabiles rationes ad perfectam, seu scientificam cognitionem illius rei progreditur.

ART. I. Quaestiones, quae in universum circa res institui possunt, recensentur

25. Quatuor de qualibet re quaeri possunt, nempe *an sit, quid sit, qualis sit, cur, et unde sit*. Prima quaestione quaeritur existentia rei; altera, ipsius essentia; tertia, qualitas, quae rei in-

haeret, sed eius essentiam non efficit; quarta denique, finis, propter quem, et causa, ex qua res effecta est.

26. Circa haec varia quaestionesnum genera quaedam adnotanda sunt:

1° Cum existentia rei, de qua quaeritur, nos latet, quaestio *an sit*, aliis praecedere debet, quippe quod nihil de aliqua re quaerere licet, nisi ipsam esse constet. Ut autem haec quaestio institui possit, necesse est ut innotescat quid nomine rei quaesitae intelligatur, nulla enim quaestio, quaecumque ea sit, institui potest, nisi voces, quibus significatur, compertae sint.

2° Quaestiones, *an res sit*, et *qualis res sit*, ad unam quaestionem revocantur, quippe quod ambae ad existentiam rei pertinent, et tantum in eo differunt, quod quaestio, *an res sit*, respicit existentiam rei absolute; quaestio autem, *qualis res sit*, versatur circa existentiam alicuius affectionis rei. Item, quaestiones, *quid res sit*, et *propter quid*, ipsa *sit*, ad unicam quaestionem redeunt; nam rei essentia, in qua quaestio, *quid sit*, consistit, complectitur principia, ex quibus res constituitur, sive causas, propter quas ipsa ad hanc, et non ad aliam speciem pertinet: quapropter qui novit causas rei, nempe *propter quid*, is essentiam rei, nempe *quid res sit*, simul discit; et vicissim. E. g., si quis cognoscit causam, per quam luna deficit, esse interpositionem terrae inter lunam, et solem, simul cognoscit defectionem lunae esse privationem luminis ex interpositione terrae inter lunam, et solem effectam; quocirca essentiam eclipsis una cum causa eius cognoscit.

3° Quaestiones, *an res sit*, et *qualis res sit*, cum respiciant existentiam rei, cognitionem *vulgarem*; quaestiones, *quid res sit*, et *propter quid sit*, cum inquirant causam, et essentiam rei, cognitionem *scientificam* in nobis progignunt; siquidem cognitio vulgaris a scientifica in eo differt, quod illa tantum rem esse, haec autem, cur ita esse debeat, exhibet. At vero, quaestio, *an res sit*, ad scientificam cognitionem rei efficiendam plurimum confert, quia mens nostra, cum apprehendit existentiam rei, cuius causam ignorat, naturaliter trahitur ad ipsam causam investigandam, ut quid res sit, cognoscat. Idem dicatur de quaestione, *qualis res sit*, nam, perspectis affectionibus, quae rei insunt, haud difficulter cognoscitur, qua ex causa ipsae rei insint.